SCHEDAE CRITICAE.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
ORDINIS IN UNIVERSITATE FRIDERICIA
GUILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORUM CAUSSA

UNA CUM THEMATIS

DIE XXI. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLVII.

PUBLICE DEFENDET SCRIPTOR

FRIDERICUS ADOLPHUS DE VELSEN

GUESTPHALUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

ANTONIUS KLETTE PHIL. DR. REG. BIBL. CUST.
IOANNES CONRAD PHIL. DR.
IOSEPHUS FREY PHIL. DR.

BONNAE
TYPIS EXSCRIPSIT CAROLUS KRUEGERUS
MDCCCLVII.

GUILELMO GERCKE

AMICO THEOLOGO.

Thucydides III, 29.

Οἱ δ'ἐν ταῖς τεσσαράκοντα ναυσὶ Πελοποννήσιοι, οὓς ἔδει ἐν τάχει παραγενέσθαι, πλέοντες περί τε αὐτὴν τὴν Πελοπόννησον ἐνδιέτριψαν, καὶ κατὰ τὸν ἄλλον πλοῦν σχολαῖοι κομισθέντες τοὺς μὲν ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναίους λανθάνουσι, πρὶν δὴ τῇ Δήλῳ ἔσχον, προσμίξαντες δ' ἀπ' αὐτῆς τῇ Ἰκάρῳ καὶ Μυκόνῳ πυνθάνονται πρῶτον ὅτι ἡ Μυτιλήνη ἑάλωκεν.

Mihi res erit cum verbis illis: *τοὺς μὲν ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναίους λανθάνουσι, πρὶν δὴ τῇ Δήλῳ ἔσχον.* Quae verba, quod ad grammaticam rationem pertinet, nihil movent dubitationis, multum, si sensum spectamus. Sed primum paucis, quaenam in sententiis antecedentibus res gestae narratae sint, exponam. Mytilenae urbi quae ab Atheniensibus defecerat auxilium polliciti Lacedaemonii a sociis classem quadraginta navium, cui praefecerant Alcidam Lacedaemonium, parari curant. Sed priusquam ad auxilium Mytilenaeis ab Atheniensibus terra marique obsessis ferendum proficiscerentur naves, in deditionem venerunt Mytilenaei. Alcidas autem eius rei ignarus tardo cursu a Peloponneso Lesbum insulam versus navigavit.

Quae secuntur: *τοὺς μὲν ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναίους λανθάνουσι πρὶν δὴ τῇ Δήλῳ ἔσχον* nihil aliud significare possunt, nisi Alcidae naves cum ad Delum insulam adpellerent, primum visas esse *ὑπὸ τῶν ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναίων.* Quae sententia, ut mihi quidem videtur, a Thucydide pro-

fecta esse nequit, quattuor maxime de caussis. Primum enim in eo quod nostrum sequitur capite omnia ita aguntur tanquam a nullo Atheniensium visa esset Peloponnesiorum classis: nam sic sperare potuit Teutiaplus ipsos inprovisos adgredi posse Atheniensium quae circa Mytilenem erat classem. Deinde, id quod maximum est, in capite trigesimo tertio narratur: *ὤφθη γὰρ ὑπὸ τῆς Σαλαμινίας καὶ Παράλου ἔτι περὶ Ἴκαρον ὁρμῶν* e. q. s.: adparet tunc demum Pacheti nuntiatum esse Peloponnesiorum classem esse circa Asiam: si vero iam circa Delum visae essent naves fieri non potuit, quin hoc iam diu audisset Paches. Quid vero ille fecit? *ὁ δὲ ὑπὸ σπουδῆς ἐποιεῖτο τὴν δίωξιν.* Neque, si Alcidas circa Delum *ὑπὸ τῶν ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναίων* visus esset, quidquam certius est quam Athenienses illos haec Pacheti quam celerrime nuntiaturos fuisse, tunc vero neque Alcidas tam diu inpune circa Ioniam versari neque Paches, qui postea tanto studio eum insecutus est, quiete cum navibus apud Mytilenem sedere potuit. Neque, id quod tertium est argumentum, Thucydides usquam quidquam tradit, quod ad res quae geruntur nullius sit momenti. Hanc vero sententiam nihil pertinere ad eam quae sequitur narrationem nemo non videt. Postremo sententia adeo inconditе coniungitur cum eis quae secuntur, a quibus omnino ipso sensu segregata est, ut prorsus a Thucydidis ratione abhorreat. Quibus argumentis adducor ut pro certo adfirmare ausim hunc locum esse corruptum. Quam coniecturam in capite XXXIII proposuit Poppo ut pro *Κλάρου* et *Κλάρῳ* legendum sit *Ἴκαρον* et *Ἰκάρῳ* eam tam firmis argumentis refutavit Haasius (lucubr. Thuc. p. 17) ut ipse Poppo in editione minore illam coniecturam dimitteret. Itaque quanquam nonnulla Haasii argumentis addere possum, tamen non placet mihi de re ut ita dicam absoluta rursus agere.

Quod vero ipsius Haasii de nostro loco adtinet sententiam est ea admodum infirma. Nam primum ne animadver-

tisse quidem videtur illas quas protuli dubitationes, deinde, id quod solum desiderat refutationem, τοὺς ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναίους putavit esse eas naves Atheniensium quae tum erant circa Peloponnesum: illas naves nuntium Athenas tulisse atque ab Atheniensibus Paralum et Salaminiam naves missas esse, quae Alcidam observarent. Quae interpretatio prorsus stare non potest. Nam primum elucet verbis τοὺς ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναίους opponi eos Athenienses qui in urbe aut circa urbem ipsam erant, illis qui circa Lesbum vel in ipsa insula vel in navibus versabantur, quod ipsa verba adeo simpliciter significant ut omnino non videam qua ratione Haasius ad illa artificia pervenerit. Deinde ineptissimi certe fuissent Athenienses, si tanto nuntio adlato non celerrime Pachetem certiorem fecissent, sed stulta incredulitate duas, quae Alcidam observarent, naves misissent. Quae res a simplici voce ὤφθη (cap. 33) quam maxime discrepat.

Sed postremo quae mihi ipsi placuerit emendationis ratio exponam. Nimirum verba τοὺς μὲν ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναίους λανθάνουσι sententiam habent in se ut ita dicam absolutam: „naves Peloponnesiorum latent Athenienses qui in ipsa Athenarum urbe erant (eos per totum iter latent).“ Quae sententia minime supervacanea est: nam si ab Atheniensibus visa esset classis, omnia illa quae apud Thucydidem deinceps narrantur accidere non potuissent. Ex illis quae secuntur verbis πρὶν δὴ τῇ Δήλῳ ἔσχον, προςμίξαντες δ' ἀπ' αὐτῆς τῇ Ἰκάρῳ καὶ Μυκόνῳ πυνθάνονται πρῶτον ὅτι ἡ Μυτιλήνη ἑάλωκεν hoc primum discimus Peloponnesios προςμίξαντας ἀπὸ Δήλου τῇ Ἰκάρῳ καὶ Μυκόνῳ de Mytilenes deditione certiores esse factos. Contenderim in illis quae relincuntur latere huiusmodi sententiam: „nihil Peloponnesii de capta urbe (vel de eo quod accidit) suspicantur (vel audiunt).“ Itaque ante πρίν vocem lacunam statuendam esse censeo, ut haec fere sententia librarii

neglegentia sit omissa: *καὶ οὐδὲν ὑποπτεύουσι τῶν γενομένων*, vel, id quod recte admonuit me Ritschelius, praeceptor unus omnium optime de me meritus, *ὑποπτεύουσι* voce in fine sententiae posita, qua re homoeoteleuton illud quo decepti saepissime peccarunt librarii efficitur: *καὶ οὐδὲν τῶν γενομένων ὑποπτεύουσι.* Tota igitur sententia haec fere est:

Οἱ δ' ἐν ταῖς τεσσαράκοντα ναυσὶ Πελοποννήσιοι, οὓς ἔδει ἐν τάχει παραγενέσθαι, πλέοντες περί τε αὐτὴν τὴν Πελοπόννησον ἐνδιέτριψαν, καὶ κατὰ τὸν ἄλλον πλοῦν σχολαῖοι κομισθέντες τοὺς μὲν ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναίους λανθάνουσι, κ α ὶ ο ὐ δ ὲ ν τ ῶ ν γ ε ν ο μ έ ν ω ν ὑ π ο π τ ε ύ ο υ σ ι, πρὶν δὴ τῇ Δήλῳ ἔσχον, προσμίξαντες δ' ἀπ' αὐτῆς τῇ Ἰκάρῳ καὶ Μυκόνῳ πυνθάνονται πρῶτον ὅτι ἡ Μυτιλήνη ἑάλωκεν. Sic satis apta mihi videtur esse sententia. Reliquum est, quanquam hoc cum coniectura quam de lacuna illa protuli haud ita coniunctum est, ut pauca addam de dubitatione quam Icari insulae ante Myconum mentio movit interpretibus. Myconus enim multo propius Delo est sita quam Icarus. Sed errarunt editores cum putarent Alcidam a Delo profectum adpulisse primum ad Myconum, deinde ad Icarum. Quod non verum esse vel *πρῶτον* vocabulum eos admonere debuit. Nam bis idem *πρῶτον* audire profecto supra naturam humanam est. Ad neutram adpulit Alcidas, sed *προσμίξαντες* vocabulum adpropinquandi habet notionem, qua re certe nihil interfuit utrum Thucydides Myconum an Icarum primo loco poneret. Alcidas enim nuntium accepit cum a Delo profectus inter Myconum et Icarum esset insulas. Eodem modo ordo geographicus non servatur III, 102: *καὶ πορευόμενος Οἰνεῶνα αἱρεῖ αὐτῶν καὶ Εὐπάλιον*: nam Eurylochus Delphis egressus prius ad Eupalium urbem pervenit.

Thucydides IV, 117.

Τοὺς γὰρ δὴ ἄνδρας περὶ πλείονος ἐποιοῦντο κομίσασθαι, ὡς ἔτι Βρασίδας εὐτύχει· καὶ ἔμελλον ἐπὶ μεῖζον χωρήσαντος αὐτοῦ καὶ ἀντίπαλα καταστήσαντος τῶν μὲν στέρεσθαι, τοῖς δ' ἐκ τοῦ ἴσου ἀμυνόμενοι κινδυνεύειν καὶ κρατήσειν.

Postquam et Pylus ab Atheniensibus est occupata et nobiles illi Spartiatae victa Lacedaemoniorum classe in Sphacteria insula sunt capti et Cythera insula in Atheniensium potestatem est redacta et Peloponnesi littora saepius et inpune ab hostibus sunt vastata, Lacedaemonii rebus suis timentes ultro pacis conditiones easque satis aequas tulerunt: spreverunt eas autem Athenienses bona fortuna inflati. At haud ita multo post Brasidae meritis rerum condicio aliquantum mutata est. Ille enim expeditione in Thraciam facta Chalcidicenses urbes Atheniensium imperio eripuit, Amphipolim, Toronam, alias. Qua re ita lenitus est ferox Atheniensium animus ut libenter cum Lacedaemoniis indutias facerent. De quibus indutiis nostro capite agit scriptor atque ita quidem ut caussas quae utramque urbem ad eas faciendas adduxerint adcuratius tradat. Athenienses enim Brasidam prohibere voluerunt quominus, antequam ipsi exercitum parassent, ad defectionem pelliceret ceteras urbes Chalcidicenses simulque, si feliciter res ipsis succederet, diuturniorem conpositionem facere, Lacedaemoniis autem spes erat fore ut dato miseriarum laxamento Atheniensium animi ad pacem faciendam proniores essent. Nam plurimi fecerunt cives suos in Sphacteria insula captos recuperare, quando Brasidas adhuc rem feliciter gereret. Quae secuntur verba adcuratius tractanda mihi proposui: *καὶ ἔμελλον ἐπὶ μεῖζον χωρήσαντος αὐτοῦ καὶ ἀντίπαλα καταστήσαντος τῶν μὲν στέρεσθαι, τοῖς δ' ἐκ τοῦ ἴσου ἀμυνόμενοι κινδυνεύειν*

καὶ κρατήσειν. Atque adparet hac sententia argumenta exponi, quibus adducti Lacedaemonii noluerint Brasidam maiores progressus facere sive bellum produci. Deinde neque hoc latet ἔμελλον illud de ipsorum Lacedaemoniorum sententia usurpari ut significet: „putabant fore ut."

Singula autem argumenta haec sunt: primum ἔμελλον τῶν μὲν στέρεσθαι. Iam quaeritur, quid significet genetivus τῶν μέν, quem alii a masculino οἱ μέν derivatum referunt ad captivos illos Spartiatas, alii a nominativo τὰ μέν ductum esse dicunt. Argumenta quantum scio a neutra parte sunt prolata. At sine ulla dubitatione haec ratio, τῶν μέν a τὰ μέν vocabulis ducta esse sola vera est. Primum enim constat, τοῖς δέ verba a nominativo τὰ δέ repetenda esse. Nam si de hominibus i. e. de ipsis Lacedaemoniis haec dicta essent, quis non videt sententiam absurdam et Lacedaemoniorum bellica virtute prorsus indignam esse? Quapropter cum usitatissimum sit illud τὰ μέν—τὰ δέ fieri non potuit quin genetivum quoque ab eodem nominativo duci voluerit scriptor. Deinde, id quod etiam planius universa mea argumentatio docebit, nostra sententia breviter omnes illas continet cogitationes easque verissimas quibus a bello producendo deterrebantur Lacedaemonii. Sin autem de illis rebus agitur quibus bello producto priventur, tuncne soli illi captivi sunt nominandi? Etiam in optima fortuna tamen aliter fieri non potuit quin multa alia amitterent Lacedaemonii atque talem belli sortem prudentissime eos intellexisse totus quem tractamus locus luculenter docet. Itaque recte mali illi casus τὰ δέ vocabulis significantur, inter quos erat etiam illa captivitas Spartiatum in longius promota. Atque eorum libertatem civibus maxime cordi fuisse satis verbis illis quae nostra proxime antecedunt dixerat scriptor. Ad quae si referendus esset τῶν δέ genetivus, id quod tertium argumentum addo, Thucydidi nisi iusto obscurior esse voluisset, pro καί particula ponendum erat γάρ.

Sed alterum Lacedaemoniorum bellum indigne ferentium argumentum hoc erat: *τοῖς δ' ἐκ τοῦ ἴσου ἀμυνόμενοι κινδυνεύειν.* Quod constructionem adtinet recte perspexerunt Poppo et Kruegerus iungenda esse verba *τοῖς δὲ κινδυνεύειν* „alia autem in discrimen daturi erant." Cautis enim hominibus etiam hoc inter mala belli visum est quod classes in altum provectae, exercitus in remotas terras, Thraciam, Acarnaniam, alias missi, quamvis hostium viribus aequi essent, tamen semper civibus metum incuterent, ne quid mali eis accideret. Itaque ipsum periculum utpote male minax aegre ferebant. Tales Lacedaemonios depingit et increpat notissima illa oratio quam ante ipsum bellum Spartae habuerunt Corinthii. Atque hoc contra fortitudinem nullo modo pugnare ipsum hoc bellum Peloponnesiacum docet.

Cum huc usque omnia aptissime processerint, subito existit atra quaedam crux adiectis verbis *καὶ κρατήσειν.* Nam quanquam postea belli quasi palma Lacedaemoniis reapse obvenit, tamen hoc loco pro rerum statu haec simpliciter non vera atque adeo inepta sunt. Post tot tantasque clades quas supra breviter indicavi Lacedaemonii tanquam de re certissima loquentes dicerent fore ut victores evaderent? Tam ineptam et stolidam adrogantiam a cautissimorum Lacedaemoniorum more prorsus abhorrere in aperto est. Deinde sententiarum ordo mihi vehementer displicet. Agit enim Thucydides de Lacedaemoniorum timoribus quibus ad pacis desiderium inpellebantur. Num inter illos timores victoria erat ab Atheniensibus reportata? Atqui codicum verba aliter explicari nequeunt. Interpretum vero conamina iam ab aliis, inprimis a Poppone in editione minore satis refutata et tam aperte sunt falsa, ut mihi ea silentio transeunti a sanis omnibus veniam datum iri confidam. Emendationis autem quantum scio tres maxime vias ingressi snnt viri docti. Primum foedos illos victoriae timores aegre ferentes statim abeunt in contrarium ut pro

κρατήσειν voce scribatur aut *μὴ κρατήσειν* aut, quod alii voluerunt, *κρατήσεσθαι.* At non est virtus simpliciter in eo posita ut sit vitiis contrarium. Nam et hae emendationes sententiam efficiunt non ferendam. Nimirum Brasidas hoc ipso tempore Athenienses tot urbibus opulentis privavit ut adpareat nullo modo certum fuisse Lacedaemonios inferiores fore. Deinde a Lacedaemoniis procul erat talis ignavia cum per totum bellum tum hoc recuperatae bonae fortunae tempore ut pro re certa haberent fore ut vincerentur.

Reiskii autem coniectura *προςπταίσειν* non magis est probabilis. Nam praeterquam quod a codicum scriptura vox illa toto caelo distat, habemus, quod conprobasse mihi videor, eandem sententiam in illis verbis *τῶν δὲ στέρεσθαι.* Deinde cum *τοῖς δ' ἐκ τοῦ ἴσου ἀμυνόμενοι κινδυνεύειν* verbis iuncta vox *προςπταίσειν* falsam illam prodit sententiam, tanquam in omnibus quae subeunda erant periculis vincerentur Lacedaemonii.

Kruegerus denique simpliciter dicit: „ich tilge *καὶ κρατήσειν.*“ Veniam peto viri de Thucydide maxime meriti, si eiusmodi laconismus mihi nimius videtur. Nam si nulla caussa addita, nulla vel glossematis vel alius depravationis ratione probata simpliciter ea tollimus quae explicare non possumus, in oblitterationem munus abit critici.

Sed redeamus ad ipsam sententiam. Duae nobis traditae sunt caussae cur Lacedaemoniis bellum taedio fuerit. Primum certa quaedam damna, deinde exercituum, urbium, aliarum rerum incerta pericula. Quid denique desideratur? Hoc mihi quidem ipsa luce clarius videtur esse. Nam credo Lacedaemonios libentissime damna et pericula quamvis dura sustentaturos fuisse, dummodo de fine belli non dubitandum illis fuisset. Quod si additum est dico Lacedaemonios recte intellexisse omnia quae a bellis deterreant prudentes viros: si omittitur tunc Thucydidem in cautis illis hominibus depingendis putide rem gravissimam neglexisse. Tale quid

autem ab eius arte prorsus alienum esse quis negabit? Atque habemus ad nostrum locum scholiastae adnotationem hanc: *ἐν ἀδήλῳ εἶναι εἰ κρατήσουσιν αὐτῶν.* (Quod praeterea aliud scholium extat aperte codicum verba qualia hodie traduntur falsum in modum explicat.) Sed ex illa adnotatione duas res intellegimus, primum scholiastam aliud quid legisse ac *καὶ κρατήσειν*, deinde legisse eum talia verba quae quam sententiam prorsus desiderari docuimus reapse dederint. Itaque ad argumentationem ex sententiae natura ductam adcedit disertum testimonium. Sed si intentius ad ipsa scholiastae verba animum advertas credo fore ut etiam vera scriptoris verba invenias. Nam verbis *εἰ κρατήσουσιν αὐτῶν* continetur paraphrasis vocis *κρατήσειν* vel ut statim dicam quod sentio *τὸ κρατήσειν.* Quae vero antecedunt ea ipsius Thucydidis sunt verba ut *ἐν ἀδήλῳ εἶναι τὸ κρατήσειν* sic explicaverit scholiasta: *ἐν ἀδήλῳ εἶναι εἰ κρατήσουσιν αὐτῶν.* Vocabulo *αὐτῶν* pro argumenti ordine haud obscure Athenienses significari liquet. Atque in verbis illis Thucydidis:

> *τοὺς γὰρ δὴ ἄνδρας περὶ πλείονος ἐποιοῦντο κομίσασθαι, ὡς ἔτι Βρασίδας εὐτύχει· καὶ ἔμελλον ἐπὶ μεῖζον χωρήσαντος αὐτοῦ καὶ ἀντίπαλα καταστήσαντος τῶν μὲν στέρεσθαι, τοῖς δ᾽ ἐκ τοῦ ἴσου ἀμυνόμενοι κινδυνεύειν καὶ ἐν ἀδήλῳ εἶναι τὸ κρατήσειν*

ad *ἐν ἀδήλῳ εἶναι τὸ κρατήσειν* ex *ἔμελλον* verbum *ἔμελλε* intellegendum esse unusquisque videt. In eiusmodi ellipsi cuius exempla notissima sunt mihi quidem nihil duri inesse videtur.

Thucydides V, 7.

Τῶν γὰρ στρατιωτῶν ἀχθομένων μὲν τῇ ἕδρᾳ, ἀναλογιζομένων δὲ τὴν ἐκείνου ἡγεμονίαν πρὸς οἵαν ἐμπειρίαν καὶ τόλμαν μετὰ οἵας ἀνεπιστημοσύνης καὶ μαλακίας γενήσοιτο, καὶ οἴκοθεν ὡς ἄκοντες αὐτῷ ξυνῆλθον,

αἰσθόμενος τὸν θροῦν, καὶ οὐ βουλόμενος αὐτοὺς διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ καθημένους βαρύνεσθαι, ἀναλαβὼν ἦγεν.

Versamur hoc loco in temporibus illis quae antecedunt pugnam inter Athenienses Cleone duce et Lacedaemonios quibus Brasidas praeerat apud Amphipolim factam. Atque Cleon legatis ad Perdiccam Macedoniae et Pollem Odomantum reges missis ut ex societatis iure quam celerrime cum copiis venirent, ad Eionem per otium auxilium expectabat. Quod otium propter Cleonis inperitiam et ignaviam satis ipsis cognitam aegre ferebant milites. (*Ὁ δὲ Κλέων*) *αἰσθόμενος τὸν θροῦν, καὶ οὐ βουλόμενος αὐτοὺς διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ καθημένους βαρύνεσθαι, ἀναλαβὼν ἦγεν.* Sic in omnibus editionibus verba haec leguntur. Atque ex interpretum explicationibus duas tantum tractabo, relicuae enim tam aperte falsae sunt ut refutatione non egeant. Poppo verba illa *διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ καθημένους* — nam infinitivum *βαρύνεσθαι* trahit ad participium *οὐ βουλόμενος* — ita explicavit ut mixtura quadam duarum constructionum quarum utraque usitata est et *καθημένους ἐν τῷ αὐτῷ* et *διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ καθῆσθαι* illa evaderet: *διὰ τὸ καθημένους*. At rectissime animadvertit Kruegerus talem constructionem plane linguae legibus repugnare. Quae vero exempla adtulit Poppo ea iam nulla sunt. Nam in priori illo (IV, 63) Reiskius recte coniecit *τούς* pro *τό* esse scribendum, in altero (VIII, 105) Bekkerus codicum auxilio pro *διώκοντας* dedit *διώκειν*, quem recte sequitur Kruegerus. Sed fac concederetur, talem constructionem interdum a Thucydide usurpatam esse: tamen hoc loco prorsus locum habere nequit propter proximum infinitivum *βαρύνεσθαι*. Nam profecto Popponis illa constructio adeo insolita erat, adeo usitata illa in qua verba *διὰ τό* coniungerentur cum infinitivo ut unumquemque adiungenda illa *διὰ τὸ βαρύνεσθαι* adduceret scriptor: quale vitium gravissimum a Thucydide est

alienum. Quod cum recte intellexisset Kruegerus aliam viam ingressus est. Ipsius verba haec sunt: „ich erklaere *διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ* wegen des (Verweilens) an demselben Orte. Vgl. zu *ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον* I, 2, 2.“ At haec ratio vix Popponiana melior est. Nam quamvis verissimum sit *διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ* verbis per se spectatis hoc significari posse, tamen hoc loco non potest. Primum enim obstat idem argumentum quod secundo loco contra Popponem protuli, deinde molestissima evadit tautologia, cum *διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ* verba et participium *καθημένους* prorsus idem significent. At dixerit quispiam glossema est *καθημένους* vox et tollenda: non recte, nam prior illa difficultas infinitivi post verba illa positi tunc etiam maior fit. Neque feliciores fuerunt qui ut Bauerus obiter suspicati sunt *διά τό* verba utpote ex glossemate profecta expungenda esse: nam equidem nunquam mihi persuadebo ad simplicia verba *ἐν τῷ αὐτῷ καθημένους* ab interprete adscripta esse *διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ καθῆσθαι.*

Sed si ad ipsa verba libere et adcurate animum advertimus duae res, si quid video, obcurrunt. Primum Thucydidem si nihil aliud voluisset, nisi noluisse Cleonem milites gravari, hoc loco nimis verbosum esse: ubi enim narravit milites diuturnum otium aegre tulisse et Cleonem iniquis rumoribus lacerasse, satis erat addere *καὶ αἰσθόμενος τὸν θροῦν ἀναλαβὼν αὐτοὺς ἦγεν*: caussa enim additis verbis *αἰσθόμενος τὸν θροῦν* non latet. Deinde unusquisque primo intuitu non dubitabit iungenda esse verba *διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ καθημένους βαρύνεσθαι* ut infinitivus ad *διά τό* vocabula pertineat. Itaque *διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ καθημένους βαρύνεσθαι* verba caussam continent eius rei quam noluit Cleon, quod vero ille noluerit non habemus. Quid multa? Librarii neglegentia omissa sunt ipsa illa verba quae ad participium *οὐ βουλόμενος* referenda sint atque tota sententia sic fere est restituenda:

τῶν γὰρ στρατιωτῶν ἀχθομένων μὲν τῇ ἕδρᾳ, ἀναλογιζομένων δὲ τὴν ἐκείνου ἡγεμονίαν πρὸς οἵαν ἐμπειρίαν καὶ τόλμαν μετὰ οἵας ἀνεπιστημοσύνης καὶ μαλακίας γενήσοιτο, καὶ οἴκοθεν ὡς ἄκοντες αὐτῷ ξυνῆλθον (vel potius id quod Dobreus vir acutissimus coniecit ξυνεξῆλθον), αἰσθόμενος τὸν θροῦν καὶ οὐ βουλόμενος, αὐτοὺς διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ καθημένους βαρύνεσθαι ἀτολμοτέρους γίγνεσθαι, ἀναλαβὼν ἦγεν.

Librarium eiusmodi homoteleuto quale est in verbis *βαρύνεσθαι* et *γίγνεσθαι* facillime decipi potuisse res est satis nota. Sed neque a sententia neque a verbis quidquam desiderari mihi videtur, nisi forte cui offensioni sit cacophonia illa *καθημένους βαρύνεσθαι* et *ἀτολμοτέρους γίγνεσθαι*. At Thucydides cacophoniam nullo modo fugit cuius rei exempla innumerabilia adferri possent. Sed satis sint quae mihi librum aperienti statim praesto sunt: IV, 130 *ἅμα δὲ τοῖς Ἀθηναίοις τῶν πυλῶν ἀνοιγομένων φοβηθέντων* e. q. s., IV, 131 *οἱ ἐκ τῆς ἀκροπόλεως ἐν τῇ Μένδῃ πολιορκούμενοι ἐπίκουροι βιασάμενοι* e. q. s. Ceterum si prae nimia tua religiositate illam cacophoniam ferre non possis in propatulo est auxilium, modo statuas simul cum duobus illis verbis *ἀτολμοτέρους γίγνεσθαι* aliquam particulam excidisse velut *ἀτολμοτέρους ἤδη γίγνεσθαι*.

Thucydides V, 72.

Ἀλλὰ μάλιστα δὴ κατὰ πάντα τῇ ἐμπειρίᾳ Λακεδαιμόνιοι ἐλασσωθέντες τότε τῇ ἀνδρίᾳ ἔδειξαν οὐχ ἧσσον περιγενόμενοι.

Agitur hoc loco de pugna apud Mantineam inter Athenienses eorumque socios, Argivos, Mantineos Alcibiade duce et Lacedaemonios quos Agis rex moderabatur facta. Atque in capitibus quae nostrum antecedunt, aciei ordinem, ducum cohortationes, omnia quae ante proelium ipsum erant Thu-

cydides tradit. Deinde pergit ad ipsam ξύνοδον. Dum acies adhuc congrediuntur in Lacedaemoniorum exercitu haec acciderunt. Mantinei sinistrum Lacedaemoniorum cornu multum circumveniunt, quod cum iniquum Agidi videretur imperavit ut Sciritae et Brasidiani qui Lacedaemoniorum sinistrum cornu obtinebant ad sinistram exporrecti suum cornu Mantineis exaequarent. Qua re spatio vacuo in Lacedaemoniorum acie relicto duobus polemarchis Hipponidae et Aristocli praecepit Agis ut ex dextro cornu transgressi locum illum explerent. At ubi illi ignavia, ut ipsi Lacedaemonii iudicarunt, adducti duci non obtemperarunt, disiuncti ordines coartare non poterant. Secuntur ea verba quae modo adtuli. Haec Portus et eum secutus Haasius recte sic vertit: „sed Lacedaemonii, quamvis omnibus in rebus tunc peritia longe inferiores fuissent, nihilominus virtute sua se superiores fuisse demonstrarunt.“ Ac primum ad nullam aliam rem haec verba referri posse nisi ad neglectum illud Agidis mandatum prorsus adparet. Nam in illis quae hanc sententiam praecedunt, narraverat scriptor praeceptum illud datum sed neglectum non coarctantis aciei damnum illud effecisse, et ipsis de quibus ago verbis interpositis statim tradit quae calamitas disiuncta acie locum habuerit. Victis enim Brasidianis et Sciritis inrumpunt Mantinei in illum locum quo acies Lacedaemoniorum interrupta erat. Atque haec adeo aperta sunt et quasi clamant ut diserte contendam omnes editores qui hoc loco de aliis rebus agentem faciunt Thucydidem hariolari vel etiam inepta proferre ut eos refutare non operae pretium sit. Sed si illud constat nostrum locum ad neglectum Agidis imperium referri debere paulo adcuratius ipsam sententiam inspiciamus. Num ἐμπειρίᾳ et κατὰ πάντα inferiores fuerunt? Quid hoc ad ipsam rem de qua agitur, turbatam aciem? Imperium illud Agidis rectissime se habuit quod si a polemarchis neglectum est, quid peritiae in hac re cerni potest? Omnino nihil. Sed aut proditionis aut ignaviae

nomina aut alia multa rationi quam secuti sunt illi polemarchi et per quam inferiores fuerunt Lacedaemonii recte tribui possunt, peritiae nomen nemo qui sapit usurpaverit. Eo minus usurpaverit cum sit notissimum Lacedaemonios rei militaris peritia a nulla Graeciae gente superatos esse quae res apud Thucydidem ipsum saepissime recurrit. Quid quod de hoc ipso exercitu verba faciens Thucydides scripsit cap. 69 extr.: „*Λακεδαιμόνιοι δὲ καθ' ἑκάστους τε καὶ μετὰ τῶν πολεμικῶν νόμων ἐν σφίσιν αὐτοῖς ὧν ἠπίσταντο τὴν παρακέλευσιν τῆς μνήμης ἀγαθοῖς οὖσιν ἐποιοῦντο, εἰδότες ἔργων ἐκ πολλοῦ μελέτην πλείω σώζουσαν ἢ λόγων δι' ὀλίγου καλῶς ῥηθεῖσαν παραίνεσιν.*" Nonne quibus *ἡ ἐκ πολλοῦ μελέτη* rerum militarium tribuitur censendi sunt eius rei periti esse? Sed ne diutius te morer locus corruptus est neque ullis artificiis sana sententia ex codicum verbis enucleari potest. Facillima autem emendatione eum sanare posse mihi videor, modo scribatur pro *τῇ ἐμπειρίᾳ* vocabulis *τ ῆ'ς ἐμπειρίας*. Sic tota sententia hoc modo procedit:

> *ἀλλὰ μάλιστα δὴ κατὰ πάντα τ ῆ ς ἐ μ π ε ι ρ ί α ς Λακεδαιμόνιοι ἐλασσωθέντες τότε τῇ ἀνδρίᾳ ἔδειξαν οὐχ ἧσσον περιγενόμενοι.*

Quo sensu *κατὰ πάντα τῆς ἐμπειρίας* verba accipi velim non latet: s e c u n d u m   o m n i a   q u a e   d o c u i t   p e r i t i a, vel ut nostra lingua utar: n a c h   a l l e n   R e g e l n   d e r   E r f a h r u n g. Quam sententiam argumento aptissimam esse quid multis ostendam? Postquam interrupta acie totum sinistrum cornu iam ante pugnam ipsam fugae et internecioni datum est, id quod et Lacedaemonios et hostes fugere non potuit, certe si exempla rei bellicae i. e. peritia consuluntur, iam victus erat universus exercitus. Sed tanta erat fortitudo Lacedaemoniorum ut non, ut fieri solet, turbati segnius resisterent, sed inpavidi suorum interitum et laceratum exercitus ordinem ferrent atque adeo pellerent hostem. De Kruegeri qui brevissime, ut adsolet, indicans sibi

explicationes ab editoribus propositas non satis placere ipse ἀπορίᾳ scribendum esse censuit, Poppo recte iudicavit ἐμπειρίᾳ et ἀνδρίᾳ vocabula tam apte inter se opponi ut incredibile sit, praesertim si notissimum verbum ἀπορίᾳ ab ipso scriptore traditum fuisset, nos ea librarii neglegentiae debere. Sed ipsa quae ἀπορίᾳ vocabulo evadit sententia non apta est. Nam primum nulla apud Lacedaemonios erat ἀπορία, quae si locum habuisset, tunc certe ordinibus turbatis victi fuissent, sed non turbati hostes pepulerunt. Deinde non verum est κατὰ πάντα Lacedaemonios τῇ ἀπορίᾳ inferiores fuisse, nam tunc nihil omnino certius erat quam interitus universi exercitus.

Denique scholiastae adnotatio: „τῇ στρατηγικῇ" in neutram partem valet. Dativum ibi legi non mirum est. Nam ubi ille in textum quem vocant inmigravit, etiam in scholiis describendis librarii genetivum in dativum mutandum esse duxerunt. Genetivus autem τῆς στρατηγικῆς prorsus quadrat ad sententiam nostram explicandam, est enim ἐμπειρία illa quae docet turbata acie superari exercitus στρατηγική quaedam. Sin autem ab ipso scholiasta profectus est dativus, tam ineptus ille erat ut de Agidis mala peritia hoc loco agi crederet.

Thucydides VI, 31.

Τοῦ μὲν δημοσίου δραχμὴν τῆς ἡμέρας τῷ ναύτῃ ἑκάστῳ διδόντος καὶ ναῦς παρασχόντος κενὰς ἑξήκοντα μὲν ταχείας τεσσαράκοντα δὲ ὁπλιταγωγοὺς, καὶ ὑπηρεσίας ταύταις τὰς κρατίστας τῶν τριηράρχων, ἐπιφοράς τε πρὸς τῷ ἐκ δημοσίου μισθῷ διδόντων τοῖς θρανίταις τῶν ναυτῶν καὶ ταῖς ὑπηρεσίαις e. q. s.

Haec verba leguntur in celeberrimo illo capite quo Thucydides lectoribus producit magnam et splendidam illam classem ab Atheniensibus ad Syracusas domandas extructam. Atque eis quae verba de quibus agimus praecedunt, narra-

tur. classem magnis trierarchorum et rei publicae sumptibus laboriose esse paratam. Erat autem inter rei publicae sumptus, quod singulis nautis (τῷ ναύτῃ) singulae drachmae quottidie darentur neque minora erant inpensa trierarchorum et alia multa optime praebentium *ἐπιφοράς τε πρὸς τῷ ἐκ δημοσίου μισθῷ διδόντων τοῖς θρανίταις τῶν ναυτῶν καὶ ταῖς ὑπηρεσίαις*. Thranitas remiges eos esse qui longissimis remigiis utantur et quorum munus propterea sit durissimum et scholiasta ad nostrum locum adnotat et praeterea satis notum est. Itaque cum ceteris nautis, quo nomine omnes illi significantur qui aut usu remorum aut alio munere navem propellebant, quottidie drachma solveretur, thranitis *ἐπιφορά* quaedam stipendii a trierarchis super illam quam omnes accipiebant drachmam data est. Quae omnia satis perspicua sunt et rei ipsi congrua. Sed quid vult illud *καὶ ταῖς ὑπηρεσίαις*? Hoc vocabulo significari remiges adparet. Sed primum cur omnibus remigibus, non solis thranitis, supremo ordini, aucta sint stipendia, eius rei caussa non perspicitur, cum apud thranitas durissimi laboris ratio, quam etiam scholiasta prudenter adtulit, in propatulo sit. Deinde, id quod summum est, thranitae pars sunt remigum, ut supra quam dici potest rudis atque adeo ineptus sit scriptor qui tradat thranitis et remigibus maiora stipendia solvi. Haec tam aperta sunt ut editores omnes fere offenderint. Itaque varias interpretationis vias ingressi sunt quas tamen omnes non esse probandas primo ut ita dicam obtuitu perspicitur. Nam *ὑπηρεσίαις* vocabulum sensu minorum ducum Arnoldius, de ministris nautarum accipi voluit Goellerus. Sed non solum non ex ipso Thucydide verum etiam ex nullo alio scriptore ullum eius significationis exemplum adferre potuerunt. Quae adferuntur ea omnia aut de nautis universis aut de solis remigibus aptissime accipiuntur. Deinde ut recte iudicavit Poppo, prorsus incredibile est, cum proxime antecedat *ὑπηρεσία* vox notissimo illo remigum sensu, hoc

loco aliud quid non profecto ita commune et notum eodem vocabulo significari. Suam coniecturam τοῖς ὑπηρεσίοις, quam in editione maiore dubitanter protulit, ipse Poppo missam fecit. Restat autem magna pars interpretum inter quos sunt Haackius et Kruegerus, qui opinantur verba ταῖς ὑπηρεσίαις hoc loco eandem vim habere ac καὶ ταῖς ἄλλαις ὑπηρεσίαις. Scio similem constructionem saepius apud ipsum Thucydidem usurpatam esse, sed nihilo minus diserte contendo eam explicandi rationem hoc loco non veram esse. Nam primum idem contra hanc significationem valet quod ταῖς ὑπηρεσίαις verbis proprio sensu acceptis obstare diximus. Etenim planum est, qua de caussa thranitis stipendia augeantur, obscurum cur etiam relicuis remigibus. Deinde si significet ταῖς ὑπηρεσίαις idem quod ταῖς ἄλλαις ὑπηρεσίαις, nihil aliud agit scriptor nisi ut narret remigibus maiora stipendia data esse quam relicuis nautis. Cur vero seiungit thranitas a relicuis remigibus? Cur tertiam remigum partem separavit a ceteris, cum satis habuisset si omissa inepta illa thranitarum mentione dixisset ἐπιφοράς τε πρὸς τῷ ἐκ δημοσίου μισθῷ διδόντων ταῖς ὑπηρεσίαις? Quod vero thranitarum munus maxime arduum est nihil contra nos valet: summi profecto momenti esset, si maiora relicuis remigibus stipendia accepissent thranitae. Denique, id quod interpretes et intellexerunt et adnotarunt, planum est scholiastam verba illa καὶ ταῖς ὑπηρεσίαις non legisse. Est enim eius adnotatio haec: „ἔξωθεν τοῦ δημοσίου μισθοῦ ἐκ τῶν ἰδίων ἐπιδόσεις παρεῖχον. Τοῦτο γάρ ἐστιν αἱ ἐπιφοραί. Οἱ δὲ θρανῖται, μετὰ μακροτέρων κακῶν ἐρέπτοντες, πλείονα κόπον ἔχουσι τῶν ἄλλων· διὰ τοῦτο τούτοις μόνοις ἐπιδόσεις ἐποιοῦντο οἱ τριηράρχοι, οὐχὶ δὲ πᾶσι τοῖς ἐρέταις.“ Quid multa? Omnino non scripta sunt a Thucydide καὶ ταῖς ὑπηρεσίαις verba, sed ex glossemate in margine vel inter lineas adnotato in textum quem vocant inmigrarunt. Cuius glossematis ratio haud ita obscura mihi

videtur esse. Nam adscripserat quidam ad verba *τοῖς θρανίταις* haec fere: *τῶν ναυτῶν οἱ ταῖς ὑπηρεσίαις χρώμενοι χαλεπωτάταις* — vel si te offendit verborum conlocatio pro glossematoris ratione fortasse nimis exquisita: *τῶν ναυτῶν οἱ ταῖς ὑπηρεσίαις τῶν ἄνω ζυγῶν χρώμενοι* vel *τῶν ναυτῶν οἱ ταῖς ὑπηρεσίαις πρὸς τὴν πρύμναν χρώμενοι.* (cf. schol. ad Aristoph. ran. 1074) —, nautarum illi qui durissima habent ministeria. Quo sensu *ὑπηρεσία* vocem saepissime usu venire unicuique notum est. Cum vero *τῶν ναυτῶν* vocabula etiam in continuatione verborum Thucydidiorum locum habeant, oscitans quidam librarius partem glossematis in textum quem vocant recepit et alius qui sapere sibi videbatur, correcto *οἱ* voce in *καί* locum facillimo modo sanasse opinatus est. Quod vero sententia omissis *καὶ ταῖς ὑπηρεσίαις* verbis aptissime procedit, tota argumentatione evicisse mihi videor ut nihil amplius de hac re mihi sit adiciendum.

Ceterum cognovi ex Poppone Blomfieldium ante me in eandem emendationem incidisse. Addit enim ille post suam quandam explicationem aperte falsam obiter haec: „quod si interpretatio primo loco proposita ferri non queat, verba *ταῖς ὑπηρεσίαις* quae ab antiquo scholiasta non esse lecta haud dubito, e margine inrepsisse suspicemur.“ Sed confido fore ut unusquisque sentiat quid discrepantiae sit inter meam et Blomfieldianam argumentandi rationem.

Thucydides VI, 97.

Οἱ δὲ Ἀθηναῖοι ταύτης τῆς νυκτὸς τῇ ἐπιγιγνομένῃ ἡμέρᾳ ἐξητάζοντο, καὶ ἔλαθον αὐτοὺς παντὶ ἤδη τῷ στρατεύματι ἐκ τῆς Κατάνης σχόντες κατὰ τὸν Λέοντα καλούμενον e. q. s.

Narrat hoc loco Thucydides, qua ratione Athenienses Epipolas ante Syracusas urbem sitas ceperint. Syracusanorum

enim tota civitas cum oriente sole ex urbe exierat ad exercitum, cui novi duces Hermocrates et qui eiusdem erant factionis obvenerant, in Anapi fluminis ripa recensendum et ut simul eligerent, quibus Diomilo duce munus daretur Epipolarum cui loco et ipsi Syracusani maxime metuebant, ab Atheniensibus defendendarum. Secuntur verba quae modo adtuli. Discimus igitur hoc loco Athenienses exercitum recensuisse (*οἱ δὲ Ἀθηναῖοι ἐξητάζοντο*) atque additur temporis notio *ταύτης τῆς νυκτὸς τῇ ἐπιγιγνομένῃ ἡμέρᾳ*: quae simpliciter significant: e o die qui hanc noctem secutus est. Sed quaenam est haec nox? Quae res multum et summo quidem iure vexavit interpretes. Explicationem autem satis bonam invenisse sibi visi sunt eam ut prioris sententiae verba *ἅμα τῇ ἡμέρᾳ* de nocte intellegerent. Neque enim quemquam fugere potest Athenienses eodem die Epipolas adgressos esse quo Syracusani milites recensebant. At ineptus esset scriptor qui postquam narravit egressos esse Syracusanos cum oriente sole, deinde post pauca verba ad idem tempus definiendum de nocte egerit. Ille autem omnium ineptorum esset ineptissimus qui cum de eodem die verba faciat quo Syracusani ad Anapum flumen sunt profecti, refugium habeat ad noctem quae ante ipsum illum diem erat, praesertim cum sola *ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ* verba tempus illud tam apte et clare significassent ut nulli dubitationi locus fuisset. Neque vero interpretum quotquot inspicere mihi licuit praeter Popponem quemquam ea res offendit, mihi summae offensioni esse profiteor. Sed pergamus ad ipsum illud quod eo tempore egerint Athenienses paulo adcuratius considerandum.

Ἐξητάζοντο exercitum recensebant. Res mira. Syracusani exercitum recensuerunt nec non eodem tempore Athenienses. Rationem autem adeo mirae voluntatum congruentiae nullam tradit scriptor nisi forte bellum illud subaudiendum sit imitandi studium, quod eodem modo vexavit Athenienses quo postea

huius loci interpretes. Sed quid post exercitus recensionem perficiendum sibi proposuerunt Athenienses? Syracusas ab exercitu desertas adgressi Epipolas ceperunt. Atque in tali expeditione summa celeritate opus esse videtur de qua re adeo aliter senserunt Athenienses ut eodem die, priusquam proficiscerentur, exercitum recenserent. Thucydides autem eam rem sic narrat tanquam nihil miri in ea esset. Nam sola *καί* particula res tam sibi contrarias coniungit (*ἐξητάζοντο καὶ ἔλαθον*), quae sententiarum coniunctio eo rudior est, cum nihil adhuc dictum sit de consilio quodam expeditionis. Denique, ne longus sim, dubitari non potest quin vocabulo *ἐξητάζοντο* eadem recensio significetur de qua modo egerat scriptor i. e. Syracusanorum. Hoc rectissime suspicatus est Poppo qui etiam in superiore sententiae parte verum vidit, cum diceret, deesse vocem *ῇ* aut post *ἡμέρᾳ* verbum aut ante articulum *τῇ*, qua altera coniectura orietur sententia: ea nocte quam insecuto die lustrabant, quod tamen confidentius et adiectis argumentis ei pronuntiandum erat. Sed quae ea coniectura evadit constructio ut *καί* vox ante *ἔλαθον* posita respondeat alteri *καί* ante *ἀποβιβάσαντες* conlocato, ea ferri nequit. Exempla enim quae adtulit Poppo prorsus aliter esse conparata neminem fugere potest. Deinde cum nihil adhuc proditum sit de Atheniensium consilio adgrediendarum Epipolarum nimis durus est is sententiarum ordo ut sese excipiant *ἐξητάζοντο* et *ἔλαθον* vocabula. Sed facili emendatione locum restituere posse mihi videor. Nam e verbis proximis intellegimus Athenienses ex urbe Catana ubi castra habebant per mare ad Leonta venisse. Itaque statuerim post *ἐξητάζοντο* vocabulum excidisse *ἀνήγοντο* et ante *τῇ* articulum *ῇ* vocem addendam esse. Atque in locis similibus Thucydidem saepissime a verbo *ἀνάγεσθαι* incipere, ei qui Thucydidem perlegit satis cognitum est. Quod verbum postquam homoteleuto *οντο* deceptus librarius incuria omisit, proximus sen-

tentiae subcurrere sibi videbatur, cum ἢ vocabulum quod sensum prorsus turbaret, de medio tolleret. Totus igitur locus sic scribendus est:

Οἱ δὲ Ἀθηναῖοι ταύτης τῆς νυκτὸς ἢ τῇ ἐπιγιγνομένῃ ἡμέρᾳ ἐξητάζοντο, ἀνήγοντο καὶ ἔλαθον αὐτοὺς παντὶ ἤδη τῷ στρατύματι ἐκ τῆς Κατάνης σχόντες κατὰ τὸν Λέοντα καλούμενον e. q. s.

Sic omnia plana sunt: nam de subiecto ad *ἐξητάζοντο* verbum subaudiendo nemo dubitabit qui priora illa de Syracusanis legit. Athenienses, cum summa celeritate opus esset, iam ea nocte quae ante ipsum lustrationis diem erat — quod excensionis tempus etiam a Diodoro XIII, 7 tradi ex Poppone didici — in altum provecti nesciis Syracusanis in portu haud procul ab ipsa urbe sito milites exponunt, deinde ipsam urbem adgrediuntur. Quae ubi scripsi, obcurrunt mihi in Popponis editione maiore Dobrei haec verba: „an *ἡμέρᾳ ἕως ἐξητάζοντο ἔλ.* Sed potius credo *ἐξητάζοντο* e vicinia ductum expulisse *ἀνήγοντο* vel aliud verbum hoc sensu.“ Itaque iam Dobreus verum ex parte intellexisse censendus est. Sed quanquam sic mea huius loci tractatio nihil novi adfert nisi quod quae iam ante me viri docti ex parte recte intellexerunt in unum coniunxi, tamen satis superque laudis adsecutus esse mihi videor, si quam argumentandi rationem secutus sum unice veram esse mihi conceditur.

Thucydides VIII, 61.

Ἔτυχον δ' ἔτι ἐν Ῥόδῳ ὄντος Ἀστυόχου ἐκ τῆς Μιλήτου Λέοντά τε ἄνδρα Σπαρτιάτην, ὃς Ἀντισθένει ἐπιβάτης ξυνεξῆλθε, τοῦτον κεκομισμένοι μετὰ τὸν Πεδαρίτου θάνατον ἄρχοντα, καὶ ναῦς δώδεκα αἳ ἔτυχον φύλακες Μιλήτου οὖσαι, ὧν ἦσαν Θούριαι πέντε καὶ Συρακόσιαι τέσσαρες καὶ μία Ἀναιῖτις καὶ μία Μιλησία καὶ Λέοντος μία.

Agitur hoc loco de Chiis qui obsidione gravissima ab Atheniensium exercitu premebantur. Atque cum cetera satis plana sint, de verbis ὃς Ἀντισθένει ἐπιβάτης ξυνεξῆλθε (cf. cap. 39) est dubitatio. Quid enim sibi vult ἐπιβάτης vox quae nusquam aliud quid significat nisi classiarium? Quam significationem hoc loco non aptam esse in propatulo est. Nam primum non est credibile Chios classicum militem ducem creasse, deinde ipso nostro loco discimus Leontem non classiarium fuisse, quippe qui regat unam navem (καὶ Λέοντος μία). Itaque Kruegerus suspicatus est hoc nomine dictum esse inferioris ordinis ducem. Quod huic vocabulo non consentaneum esse recte iudicavit Poppo. Nam praeterquam quod talis significatio omni auctoritate caret, apud Graecos ἐπιβάτης vocem classiarii sensu usurpatam esse plurimi loci docent, et cum de contrario nihil nobis sit traditum, statuamus licet etiam apud Lacedaemonios hoc genus hominum eodem nomine dictum esse, quod eo magis est consentaneum, cum pro etymologia significatio illa aptissima sit. Sed classiarios et duces eodem nomine vocatos esse nemini profecto persuadebit Kruegerus. Ceterorum vero opiniones vix ita conparatae sunt ut refutatione egeant. Vacillant enim editores inter propriam illam classiarii vel hanc inferioris ducis significationem ut alius alio plures honores in Leontem conferat sed ipsius ἐπιβάτης vocis vim nemo curet.

Quodsi de munere Leontis quaeris quale fuerit illo tempore quo ducem eum creaverunt Chii, hunc nodum facile tibi dissolvere posse mihi videor. Regebat enim duodecim illas quae Miletum defendebant naves. Nam in exercitibus qui et sociorum et ipsorum Lacedaemoniorum copias conplectebantur, summum imperium pro hegemoniae iure semper penes Lacedaemoniorum ducem erat, ut cum inter duodecim illas naves una tantum esset Lacedaemoniorum, quam regebat Leon, tamen Leon classis illius dux esset.

Sed in codice Palatino E. post *Ἀντισθένει* vocem habemus *στρατηγοῦ*. Quod glossema quid ad *ἐπιβάτης* vocabulum faciat plane obscurum est, nisi forte derisori in mentem veniat hoc loco cogitandum esse de versu illo ranarum Aristophanis (48) *ἐπεβάτευον Κλεισθένει*. Deinde alii codices, quod ex Popponis conlatione intellegitur, habent *ἀντὶ στρατηγοῦ*, quae verba quid sibi velint ipse videas. Nam neque editores praeter Kruegerum, de quo iam egi, quidquam docent, neque ego ullam explicandi video rationem. Sed illis glossematis maxime eo sum adductus ut credam pro *ἐπιβάτης* vocabulo ab ipso Thucydide scriptum esse *ἐπιστάτης* vicarius. Sic omnia plana sunt: *ἐπιστάτης* enim profecto *ἐπιστάτης στρατηγοῦ* erat et vocabulis *ἀντὶ στρατηγοῦ* aptissime vox *ἐπιστάτης* explicatur. Neque non aptissimus erat Leon, vir tantae dignitatis, qui et sociorum illam classem regeret et Chiorum fieret dux. Attamen profitendum mihi est me exemplum quo prorsus eandem vim habeat *ἐπιστάτης* vox, adferre non posse. Sed in aciei ordine semper is qui alium sequebatur eius *ἐπιστάτης* vocatus est, quod praeter alios docet AelianusTacticus V, 4: *καὶ ὁ μὲν τοῦ λοχαγοῦ ὀπίσω τεταγμένος καλεῖται ἐπιστάτης, ὁ δ' ἔτι τοῦ κατόπιν ὁμοίως πρωτοστάτης, ὁ δ' ἔτι τοῦ κατόπιν ἐπιστάτης, ὥστε ὅλον τὸν στίχον ἐκ πρωτοστατῶν καὶ ἐπιστατῶν συντετάχθαι παραλλὰξ τεταγμένων*. Quae vox facillime ad vicarium significandum transferri potuit, inprimis in rebus militaribus. Nam velut si *πρωτοστάτῃ* mali quid accidit, *ἐπιστάτης* locum eius explebat, sic vicario post ipsius ducis mortem eius vice fungendum erat.

Thucydides VIII, 63.

Ἐπειδὴ γὰρ οἱ περὶ τὸν Πείσανδρον πρέσβεις παρὰ τοῦ Τισσαφέρνους ἐς τὴν Σάμον ἦλθον, τά τε ἐν αὐτῷ τῷ στρατεύματι ἔτι βεβαιότερον κατέλαβον, καὶ αὐτῶν

τῶν Σαμίων προὐτρέψαντο τοὺς δυνατοὺς ὥστε πειρᾶσθαι μετὰ σφῶν ὀλιγαρχηθῆναι, καίπερ ἐπαναστάντας αὐτοὺς ἀλλήλοις ἵνα μὴ ὀλιγαρχῶνται.

Leguntur haec verba in descriptione illa turbarum quas post calamitatem Siciliensem cierunt optimates Athenienses. Atque hoc loco nobis res est cum ea factionis parte quae apud Samum insulam classem Atheniensium regebat. Nam in illo exercitu trierarchi et viri potentissimi animis erant propensis ad evertendum statum popularem. Sed ab initio totius coniurationis quasi cardo in Alcibiade vertebatur, qui Tissapherni familiaris ad potentissimos Samii exercitus viros litteras miserat, velle se redire ea conditione ut penes paucos summa rerum esset et Tissaphernis amicitia illis conciliata una cum illis rem publicam administrare (cap. 47.) Pisander igitur eiusque collegae ad Tissaphernem atque Alcibiadem profecti de pactionibus faciendis egerunt. Ab Alcibiade autem variis modis elusi Samum reversi sunt atque Alcibiadis auxilium iam missum fecerunt (c. 56.) Atque nostro loco de rebus illis agit scriptor quae post legatorum illorum reditum in Samo insula acciderunt.

Sed de verbis *ἐπειδὴ γάρ — κατέλαβον* nulla dubitatio est, summa de eis quae secuntur. Nam mire hoc loco discrepant inter se codices qua discrepantia ita utuntur editores ut miscendis singulorum codicum scripturis aptam sententiam efficere conentur. Quae scripturae diversitas cum uno obtuitu ex Bekkeri editione disci possit, singula non adfero, sed in universum moneo et Popponem et Kruegerum non coniectura sed codicum auctoritate niti. Uterque vero alterius admonitu nullo modo eo adduci potuit ut suam rationem missam faceret, id qnod simpliciter ideo accidit quod alter in alterius ratione inprobanda prorsus vera docuit. Sed videamus quo ducat miscendi illa ratio.

Popponianae editionis scriptura eadem est quam ex Bekkeri editione supra adtulimus. *Οἱ δυνατοί* sunt optima-

tes sive ut proprio vocabulo utar geomori. Atque quanquam seditione adversus optimates excitata ducenti capite, quadringenti exilio sunt multati, tamen haud ita exigua geomorum pars erat relicta, quod satis adparet ex ultimis verbis cap. 21: „*καὶ τοῖς γεωμόροις μετεδίδοσαν οὔτε ἄλλου οὐδενός, οὔτε ἐκδοῦναι οὐδ' ἀγαγέσθαι παρ' ἐκείνων οὐδ' ἐς ἐκείνους οὐδενὰ, ἔτι τοῦ δήμου ἐξῆν.*" Itaque quam rem nostro loco tradit scriptor ab Atheniensibus relicuos Samiorum optimates ad evertendum statum popularem excitatos esse, ea per se spectata prorsus apta est, modo in ipsis verbis nihil sit offensionis. Primum recte observat Kruegerus verba *καίπερ ἐπαναστάντας αὐτοὺς ἀλλήλοις* ad *δυνατούς* vocem trahenda esse, qua re sententia prodit aperte inepta. Voluit Poppo accusativum ad *Σαμίων* vocem spectare. Id autem fieri posse negat Kruegerus adfirmans exempla a Poppone adlata aliter esse conparata, atque mea quidem sententia summo iure: nam IV, 118 foederis inter Lacedaemonios et Athenienses icti verba habemus, cuius dictio apud Thucydidem semper plane discrepat ab ipsius genere dicendi, neque minus apertum est in foederibus accusativum sollemne dicendi genus fuisse. Deinde nulla in hoc exemplo extat vox ad quam spectare possit ille accusativus, ut in nostrum locum hoc exemplum nihil omnino faciat. Sed restat aliud argumentum satis validum: nimirum *καίπερ* particula absurdum in modum usurpata est. Nam quidni prohibere potuit Atheniensium optimates quominus excitarent Samiorum geomoros ad plebis imperium tollendum ea res quod ipsi Samii seditionem fecerant ne imperium penes paucos esset? Immo factio illa quae crudelissime tractata tamen, quod ex vetito illo matrimonio elucet, satis magna et potens erat, propter ipsam illam crudelem seditionem etiam pronior esse debebat cum Atheniensium auxilio punire plebem insolentem. Num hoc fugere potuit eundem scriptorem qui tam egregie descripsit motus illos quibus Corcyra insula horrendum in

iodum vastata est? Culpa non est Thucydidis sed editorum ut prorsus adfirmandum sit eam scripturam a Thucydide non esse profectam. Sed codicum aliorum auxilio usus Kruegerus nostrum locum sic edidit: *καὶ αὐτῶν τῶν Σαμίων προτρεψάντων τοὺς δυνατοὺς ὥστε πειρᾶσθαι μετὰ σφῶν ὀλιγαρχηθῆναι καίπερ ἐπαναστάντες αὐτοὶ ἀλλήλοις* quae ipse sic vertit: „nicht nur im Lager selbst versicherten sie sich der Verhältnisse noch mehr, da sogar die Samier selbst die Oligarchen der Athener anregten dass sie versuchen möchten mit ihnen eine oligarchische Verfassung anzunehmen, obgleich sie (die Samier) früher einen Aufstand gemacht hatten, um keine oligarchische Verfassung zu haben.“ At Kruegerus nulli persuasit neque, si quid video, persuadebit haec ab ipso Thucydide profecta esse. Mitto nominativum ad genetivum spectantem quem hoc loco aptum esse mihi quidem quae adtulit exempla non probarunt. Neque pro rerum statu credibile est Atheniensium nobiles a Samiis geomoris ad seditionem inpulsos esse. Illi enim iam antea *ὥρμηντο ἐς τὸ καταλῦσαι τὴν δημοκρατίαν* (cap. 47) et aperte pronuntiarunt oligarchiam necessariam esse. Atque legatis de hac re ad Thissaphernem et Alcibiadem missis Pisander regressus *τὰ ἐν τῷ στρατοπέδῳ ἔτι βεβαιότερον κατέλαβεν.* Videmus, opinor, homines illos vel per se ita esse propensos ad democratiam tollendam ut a Samiis vix propensiores reddi potuerint. Geomori vero Samiorum profecto ad seditionem erant inpellendi, nam vix tale quid ausuri erant quamdiu nesciebant Athenienses mutata voluntate non a plebis sed ab ipsorum partibus fore. Nam contra plebem et magnum illud Atheniensium exercitum simul pugnare stolidae audaciae fuisset. Sed cum eiusmodi seditio optimatum qui summa in exercitu Atheniensium habebant imperia, propositis plane conveniret, aptissimum erat ab eis geomoros mutata voluntate indicata ad seditionem inpelli. Itaque cum quo magis hoc, eo minus illud aptum

sit, de ipsius scriptoris sententia dubitari non potest. Deinde offensioni est vox *τῶν Σαμίων*. Significatur enim hoc vocabulo parva Samiorum pars *οἱ δυνατοί*, quae ratio prorsus abhorret a Thucydide in eiusmodi rebus adcuratissimo. (Cf. „*Ἀθηναίων τοὺς δυνατούς*“ „*οἱ ἐν τῇ Σάμῳ τῶν Ἀθηναίων κοινολογούμενοι*“ quamvis hoc loco solum *Ἀθηναίων* vocabulum dubitationem nullam relinquat.) Quod autem de popularium partium ducibus hoc loco non cogitandum est caput 73 docet, ubi illi a Pisandro ad optimatum partes traducuntur. Postremo *μετὰ σφῶν* verba Samiis non apta sunt, aptissima Atheniensibus. Non enim minores ipsorum maioribus apte proponunt *μετὰ σφῶν ὀλιγαρχηθῆναι*, quod vice versa optime fit. Itaque etiam hoc modo ad irritum redacti sumus. Quae vero vitia iam deprehendimus ea certe ex aliqua parte in omnibus scripturis inveniuntur quas secuti sunt editores ut a singulis prorsus abstinere possim.

Sed priusquam pergamus animus advertendus est ad ea quae capite 73 narrantur. Tradit enim hoc loco Thucydides quomodo Athenis demi potentia fracta summum arbitrium quadringentorum illorum nobilium factum sit. Qui rerum potiti (cap. 72) *πέμπουσι καὶ ἐς τὴν Σάμον δέκα ἄνδρας, παραμυθησομένους τὸ στρατόπεδον καὶ διδάξοντας* e. q. s. Atque luce clarius est post statum popularem Athenis eversum hoc accidisse. Deinde caussis legationis et mandatorum quae legatis data sunt adiectis pergit scriptor cap. 73: *ἐν γὰρ τῇ Σάμῳ ἐνεωτερίζετο ἤδη τὰ περὶ τὴν ὀλιγαρχίαν, καὶ ξυνέβη τοιάδε γενέσθαι ὑπ' αὐτὸν τὸν χρόνον τοῦτον ὅνπερ οἱ τετρακόσιοι ξυνίσταντο· οἱ γὰρ τότε τῶν Σαμίων ἐπαναστάντες τοῖς δυνατοῖς καὶ ὄντες δῆμος μεταβαλλόμενοι αὖθις καὶ πεισθέντες ὑπό τε τοῦ Πεισάνδρου, ὅτ' ἦλθε, καὶ τῶν ἐν τῇ Σάμῳ ξυνεστώτων Ἀθηναίων, ἐγένοντό τε ἐς τριακοσίους ξυνωμόται καὶ ἔμελλον τοῖς ἄλλοις ὡς δήμῳ ὄντι ἐπιθήσεσθαι.* Qae verba ad ipsum illud in quo locus ille de quo agimus versatur tempus

spectare ostendam. Quaeritur enim quando persuaserit illa popularium partium ducibus Pisander (ὅτ' ἦλθεν). Qui ubi post illud cum Tissapherne conloquium Samum rediit cum aliis optimatibus septentrionem versus navigans in singulis quae Atheniensibus parebant oppidis populare imperium sustulit. Unde Athenas se contulit et optimatum rem strenue egit. Atque si ex silentio recte fit conclusio, nunquam postea Samum adtigit. At dixerit quispiam erat Pisander inter decem illos legatos post res Athenis feliciter gestas Samum missos atque sic quae de trecentis Samiis illis ex popularibus in optimates versis narrantur post illam legationem facta sunt. Quae opinio aperte falsa est: scimus enim tempus quo decem illi legati, inter quos Pisandrum fuisse quantum equidem scio nullo modo tradit scriptor, Samum devenerint. Illi enim popularium in Samo insula partium vi fracta, cum iam Alcibiades Atheniensium exercitui praeerat, tandem Samum devenerunt. Quode capite 77: *οἱ δ' ἀπὸ τῶν τετρακοσίων πεμφθέντες ἐς τὴν Σάμον, οἱ δέκα πρεσβευταί, ὡς ταῦτα ἐν τῇ Δήλῳ ἤδη ὄντες ᾐσθάνοντο, ἡσύχαζον αὐτοῦ* et capite 86: *καὶ οἱ ἐκ τῆς Δήλου ἀπὸ τῶν τετρακοσίων πρεσβευταί, οὓς τότε ἔπεμψαν παραμυθησομένους καὶ ἀναδιδάξοντας τοὺς ἐν τῇ Σάμῳ, ἀφικνοῦνται παρόντος τοῦ Ἀλκιβιάδου, καὶ ἐκκλησίας γενομένης λέγειν ἐπεχείρουν.* Itaque Pisander cum post illud cum Tissapherne conloquium Samum reverteretur, illa egisse censendus est atque sic Thucydides capite 73 ad idem tempus redit quo capite 66 res in Samo insula gestas ad ipsarum Athenarum motus describendos reliquerat. Et mirum profecto est si de optimatum Atheniensium studiis qualia uno eodemque tempore fuerint, Thucydides modo narret geomoros ab illis pellectos esse modo popularium partium duces. Sed iam satis superque in ipso difficultatum quasi nodo haesi. Iam igitur pergendum est ad solvendi rationem quam invenisse mihi videor.

Atque plurima verae scripturae vestigia codice B. (Vaticano) contineri, qui codex saepissime solus vera tradit scriptoris verba, Bekkerus, Poppo, alii recte intellexerunt. Sed in illo codice haec leguntur: *καὶ αὐτῶν τῶν Σαμίων προὐτρέψαντο τοὺς δυνατωτάτους ὥσπερ πειρᾶσθαι μετὰ σφῶν ὀλιγαρχηθῆναι, καίπερ ἐπαναστάντας αὐτοὺς ἀλλήλοις ἵνα μὴ ὀλιγαρχῶνται.*

Atque ὥσπερ pro ὥστε voce esse vitium prima proximi verbi syllaba factum nemo non videt. Quae vero restant in illis δυνατώτατοι vocabulum pro δυνατοί habemus. Rectissime mea sententia hoc se habet: sic enim discrepantia illa in qua ultimo loco versati sumus prorsus nulla est. Nam quae intersint inter δυνατούς vocem et δυνατωτάτους quis non sentit? Sunt illi optimates, hi viri potentes, inprimis opibus potentes. Atque sic tentarunt Athenienses potentissimos Samiorum. Potentissimi autem cum alii tum plebis duces erant, inter quos etiam locupletes fuisse illa vetiti matrimonii lex ostendit. Nam, ut hoc exemplo utar, si L. Sextio victore plebs Romana talem legem sanxisset, Claudii et Fabii ingentem sustulissent cachinnum. Atque δυνατώτατοι i. e. potentissimi et optimates et populares: in illa certe contra paucorum imperium seditione inter se pugnaverant. Itaque Thucydides nostro loco in universum tradit potentissimos Samiorum ab Atheniensium optimatibus tentatos esse, postea regressus eandem rem adcuratius ita describit ut de solis popularibus, tunc maxima potentium parte agat. Sed ne sic quidem tolluntur difficultates omnes: nam praeter alias αὐτούς vox plane supervacanea est. Quid multa? Satis leni mutatione pro ἐπαναστάντας scribendum est ἐπαναστήσαντες cuius scripturae vestigia extant in trium codicum voce ἐπαναστάντες. Totus igitur locus sic est scribendus:

Ἐπειδὴ γὰρ οἱ περὶ τὸν Πείσανδρον πρέσβεις παρὰ τοῦ Τισσαφέρνους ἐς τὴν Σάμον ἦλθον, τά τ' ἐν αὐτῷ τῷ

στρατεύματι ἔτι βεβαιότερον κατέλαβον καὶ αὐτῶν τῶν Σαμίων προὐτρέψαντο τοὺς δυνατωτάτους ὥστε πειρᾶσθαι μετὰ σφῶν ὀλιγαρχηθῆναι, καίπερ ἐπαναστήσαντες αὐτοὺς ἀλλήλοις ἵνα μὴ ὀλιγαρχῶνται.

Quae sententia omnino sana est. Atheniensis enim exercitus duces i. e. optimates quanquam antea (cap. 21 *μετὰ Ἀθηναίων*) inter potentissimos Samiorum atrox certamen conflarunt ea conditione ut paucorum imperium tolleretur, eidem potentissimos cum geomoros relicuos tum popularium duces ad imperium populare tollendum pelliciunt. Credo satis elucere sic omnes illas offensiones quas supra enumeravi dissolvi. Summa autem inter optimates studia erant Pisandri: ille enim rem eo adduxit ut popularium trecenti qui viri potentissimi antea certamen contra optimates inierunt ipsorum factione deserta popularibus insidias pararent.

Postremo *δυνατωτάτους* vocem saepius librariorum incuria in *δυνατούς* mutatam esse caput 48 docet ubi editores similiter atque hic *δυνατούς* in continuationem verborum receperunt: *πολλὰς ἐλπίδας εἶχον αὐτοί θ' ἑαυτοῖς οἱ δυνατοὶ τῶν πολιτῶν τὰ πράγματα, οἵπερ καὶ ταλαιπωροῦνται μάλιστα, ἐς αὐτοὺς περιποιήσειν καὶ τῶν πολεμίων ἐπικρατήσειν.* Etenim codicis B. scriptura *οἱ δυνατώτατοι* unice veram esse docent verba *οἵπερ καὶ ταλαιπωροῦνται μάλιστα*: optimates enim semper plurima onera perferre non verum est, ditissimos verissimum.

Thucydides VIII, 66.

Καὶ τὸ ξυνεστηκὸς πολὺ πλέον ἡγούμενοι εἶναι ἢ ὅσον ἐτύγχανεν ὂν ἡσσῶντο ταῖς γνώμαις καὶ ἐξευρεῖν αὐτὸ ἀδύνατοι ὄντες διὰ τὸ μέγεθος τῆς πόλεως καὶ διὰ τὴν ἀλλήλων ἀγνωσίαν οὐκ εἶχον.

Cuius sententiae pars illa quae est a verbis *καὶ ἐξευρεῖν* multum offendit editores. Nam profecto molesta sunt et plane

supervacanea verba *ἀδύνατοι ὄντες*. Audaciores igitur ea confidenter tollnnt, timidiores conclamant: utinam deleri possent! Sed si quis ipse sibi paraverit difficultates procul absit misericordia. Nam codices et optimi et plurimi A. B. F. E. (scripturam Palatini E. cuius a Bekkero hoc loco nulla fit mentio eandem esse adnotavit Poppo in edit. mai.) pro *αὐτό* exhibent *αὐτοί*. Sed cum Bauerus dixisset: *αὐτοί* h. l. nihili est, neque alii enim opponuntur," omnes interpretes eius vestigia prementes deteriorum et paucarum codicum illud *αὐτό* recipiunt. At, si quid video, prorsus nulla est illa Baueri ratio. Nam de numero et nominibus coniuratorum sicuti de omnibus rebus quae ad rei publicae statum spectabant, duobus modis certiores fieri potuerunt Athenienses. Primum optime et facillime unumquodque docebant oratorum opera, deinde et ipsi per amicos, vicinos, cognatos, alios nonnulla cognoscebant. Atque de oratoribus modo egerat Thucydides. Narravit enim eos atrocitate coniuratorum adeo territos esse ut nihil contra optimates dicere auderent: *ἀντέλεγέ τε οὐδεὶς ἔτι τῶν ἄλλων, δεδιὼς καὶ ὁρῶν πολὺ τὸ ξυνεστηκός*. Atque pergit sic ut dicat populum fractis animis fuisse, cum longe maiorem atque reapse erat duxerint coniuratorum numerum, cuius falsae opinionis universam caussam tradit eam, populum numerum illum conpertum habere non potuisse. Cur vero hoc non potuerit verbis *αὐτοὶ ἀδύνατοι ὄντες διὰ τὸ μέγεθος τῆς πόλεως καὶ διὰ τὴν ἀλλήλων ἀγνωσίαν* significat scriptor. Quae verba non unum sed duo argumenta continent. Nam *αὐτοί* vox, id quod iam unumquemque sentire arbitror, opponitur oratoribus, de quibus cum modo locutus sit Thucydides, satis habuit ipso opposito *αὐτοί* illo eos significasse. Atque sic *ἀδύνατοι ὄντες* verba nullo modo supervacanea esse neminem fugere potest, neque aliam offensionem video ullam ut mirer, rem simplicissimam tot viros doctissimos

fugisse. Repetita autem praepositio (*διά*) apud Thucydidem satis usitata est. Cf. Kruegerum ad VIII, 56, 2.

Quae postquam scripsi video novissimum editorem Boehmium quoque *αὐτοί* in textum quem vocant recepisse. Quam vero rationem hac in re sit secutus ipse videas. Equidem in eius adnotatione (praef. vol. II p. IV) „pro *αὐτὸ* post *ἐξευρεῖν* cum optt. codd. scr. *αὐτοὶ* interpunctione mutata, ut *αὐτοὶ* intelligatur „„ipse vulgus““ quemadmodum II, 40“ nihil video quo offensio illa quam admonuit Bauerus tollatur, nisi forte *ἀδύνατοι* vocabulum sensu *ἀσθενεῖς* vocis acceperit Boehmius, quae ratio iam ab aliis est refutata nec iterum egere videtur refutatione.

Thucydides VIII, 73.

Οἱ δὲ ἀκούσαντες τῶν τε στρατιωτῶν ἕνα ἕκαστον μετῄεσαν μὴ ἐπιτρέπειν, καὶ οὐχ ἥκιστα τοὺς Παράλους, ἄνδρας Ἀθηναίους τε καὶ ἐλευθέρους πάντας ἐν τῇ νηῒ πλέοντας καὶ ἀεὶ δή ποτε ὀλιγαρχίᾳ καὶ μὴ παρούσῃ ἐπικειμένους.

Iam venio ad locum de quo quanquam mihi quidem nulla est dubitatio, tamen cum iudicium maxima ex parte e sensu pendeat multos aliter sentire scio. Neque interpretum quisquam in eo haesit praeter Abreschium cui, quod ex Popponis editione maiore disco, verba leviter suspecta erant. Versamur in illa animorum mutatione qua factum est ut Atheniensis exercitus in Samo insula castra habens Thrasybulo et Thrasylo ducibus partes populares tutaretur. Thrasybulus enim et Thrasylus de coniuratorum consiliis certiores facti singulos milites adibant hortantes ne hoc fieri permitterent *καὶ οὐχ ἥκιστα τοὺς Παράλους* e. q. s. Sed *Πάραλοι* voce duo hominum genera significantur, factio illa Attica quae plebis partes sustentabat, vel *τῆς παράλου* Athe-

niensium triremis vectores. Itaque ne quis ea confunderet adiecit scriptor verba *ἐν τῇ νηΐ πλέοντας*, quod consilium ut etiam clarius redderet Haasius in versione ipsum navis nomen adiecit: „in Paralo navi vehentes.“ At tale consilium ineptum est. Nam illa Paralorum factio Solonis temporibus summi momenti, Thucydidis aetate iam nulla erat. Neque enim per totum opus ulla eius factionis mentio extat. Deinde Paralus navis quae saepissime conmemoratur etiam pueris omnibus notissima erat. Sed si potuisset ulla de nominis significatione esse dubitatio, hoc certe loco nulla erat additis verbis *ἄνδρας Ἀθηναίους καὶ ἐλευθέρους πάντας*: quae si quis de Paralorum factione accepit aut ipse insanus fuit aut Thucydidem insanum habuit. Itaque cum nulli Atheniensium de significatione nominis dubitatio esse potuerit, ut minuta illa diligentia scriptor lectoribus risum movisset, verba illa Thucydidi prorsus abiudicanda sunt et glossematori tribuenda. Tota igitur sententia haec erit:

Οἱ δὲ ἀκούσαντες τῶν τε στρατιωτῶν ἕνα ἕκαστον μετῄεσαν μὴ ἐπιτρέπειν καὶ οὐχ ἥκιστα τοὺς Παράλους ἄνδρας Ἀθηναίους τε καὶ ἐλευθέρους πάντας καὶ ἀεὶ δή ποτε ὀλιγαρχίᾳ καὶ μὴ παρούσῃ ἐπικειμένους.

Atque nisi egregie fallor prorsus redolent verba illa glossema: conferas modo quae ad nostrum locum adnotavit scholiasta: *ἤγουν τοὺς ἐκ τῆς νεὼς τῆς Παράλου.* Postremo ex ipsa scholiastae adnotatione concludi posse videtur eum verba quae induximus non legisse: quanquam hoc argumentum pro scholiorum natura hoc loco satis lubricum esse confiteor.

Euripidis Medea 772 et 773 (Kirchh.)

Μολόντι δ' αὐτῷ μαλθακοὺς λέξω λόγους
ὡς καὶ δοκεῖ μοι ταῦτα καὶ καλῶς ἔχει,
γάμους τυράννων οὓς προδοὺς ἡμᾶς ἔχει
καὶ ξύμφορ' εἶναι καὶ καλῶς ἐγνωσμένα.

Medea iam refugii illius apud Aegeum regem certa illud inimicorum puniendorum cepit consilium quod ultionis desiderio ardens (νῦν καλλίνικοι τῶν ἐμῶν ἐχθρῶν, φίλαι, Γενησόμεσθα κεἰς ὁδὸν βεβήκαμεν) choro exponit.

Atque ubi declaravit velle sese servo misso Iasonem arcessere, adicit versus illos quos tractandos mihi proposui. Quae verba si, quod conlocatio exigit, γάμους τυράννων οὓς προδοὺς ἡμᾶς ἔχει pro accusativo ad καλῶς ἔχει voces referuntur, languidissima prodit sententia atque adeo inepta. Nam primum in simplici sententia molestissimam loquacitatem inesse nemo non videt, deinde non minus molesta sunt repetita illa verba καὶ καλῶς ἔχει et οὓς προδοὺς ἡμᾶς ἔχει. Qui vero velut Bothius versum ὡς καὶ δοκεῖ μοι ταῦτα καὶ καλῶς ἔχει parenthesis loco habent et proximos duos versus ad λέξω verbum referunt, falluntur: nam quod modo dixi, verborum conlocatio prorsus cogit ut accusativus γάμους iungatur cum verbis καὶ καλῶς ἔχει neque neutra illa καὶ ξύμφορ' εἶναι καὶ καλῶς ἐγνωσμένα recte ad masculinum γάμους trahi possunt. Profecto enim Vergilianum illud „triste lupus stabulis“ quod adtulit Bothius, nihil ad talem constructionem probandam facit.

Neque vero fugit editores hos versus corruptos esse quos vario modo sanare studuerunt. Sed cum alius alium iam satis refutaverit, singula omnia persequi supervacaneum est, praesertim cum fundamenta quibus nituntur istae emendationes, plane nulla sint. Nam in codice Florentino (cf. Kirchh. p. VI) teste Valckenario (Phoen. 1286) posterior versus γάμους τυράννων οὓς προδοὺς ἡμᾶς ἔχει non legitur, deinde vetus editio (Hervagiana secunda) coniectura in priore versu pro ἔχει voce dedit ἔχειν. Quibus auxiliis usi editores modo aut illum versum expulerunt simulque coniecturam ἔχειν retinuerunt, aut coniectura illa admissa satis habuerunt, aut expuncto illi versui comitem dant etiam eum qui sequitur. At primum argumentum illud omissi ver-

sus non efficere potest ut spurium eum ducas, quippe quo carere haud possis. Aliter enim vox ταῦτα non habet quo spectet nisi ad ipsa illa Medeae ultionis consilia, cuiusmodi sententiam non ferendam esse adparet. Sed ipso hoc versu omisso Hervagiana coniectura ἔχειν refellitur: perspicuum enim est librarium pari versuum exitu (ἔχει) deceptum alterum versum omisisse: ut haec ipsa res argumentum sit, in verbo ἔχει nihil mutandum esse.

Quod cum recte intellegeret Kirchhoffius hoc loco lacunam latere suspicatus est. Sed quanquam invitus a viri docti qui puero mihi praeceptor erat suavissimus sententia recedo, tamen vereor ut de hac re recte statuerit. Quod enim addit argumentum excidisse versum propter similem exitum ἔχει — ἔχει, in eo falsa specie deceptus est vir doctissimus. Potuerunt enim ex pari illo exitu facillime duo errores evadere, ut aut alter versus omitteretur aut cum altero versu plures qui inter duos illos erant simul exciderent. Sed ad ea quae inter illos versus legebantur sola omittenda par exitus nullam vim habuit. Postremo quaenam sententia supplenda sit, quod nostro iure in omnibus lacunis statuendis flagitamus, ipse Kirchhoffius nullo modo significavit. Atque hoc difficillimum profecto erat: nam a sententia nihil desideratur. Nam hoc loco nihil aliud dixit Medea nisi velle sese adfirmare nunc ipsam prorsus adsentiri matrimonio Iasonis: quod verbis codicum inesse liquet.

Sed emendationis ratio lenissima mihi in mentem venit: nimirum transponendi sunt illi versus: quo facto nulla restat difficultas. Atque pari exitu facillime accidere potuisse ut duo versus inter se permutentur, quis negabit? Itaque legendum est:

μολόντι δ' αὐτῷ μαλθακοὺς λέξω λόγους
γάμους τυράννων οὓς προδοὺς ἡμᾶς ἔχει
ὡς καὶ δοκεῖ μοι ταῦτα καὶ καλῶς ἔχει
καὶ ξύμφορ' εἶναι καὶ καλῶς ἐγνωσμένα.

Iam unumquemque credo sentire me *γάμους* accusativum notissima adpositionis ratione ad *λέξω λόγους* trahere et *καὶ καλῶς ἔχει* verbis significari: et bene se habere. Quod vero versu 774 *καὶ ξύμφορ' εἶναι καὶ καλῶς ἐγνωσμένα* constructio sit mutata, cum *λέξω* vocabulum primum *ὡς* particula, deinde infinitivus sequatur, in eo nulla est offensio. Talis enim constructionis mutatio apud Atticos, quod Elmsleius ad nostrum locum observavit, non insolita magis etiam apta redditur ea re quod animum Medeae laetitia oblatae ultionis perturbatum optime decuit genus dicendi paulo, ut ita dicam, perturbatius. Postremo miror neminem interpretum in eo offendisse quod idem vocabulum in exitu versuum sese excipientium legatur. Sed quamvis eius licentiae leges satis subtiles esse contenderim, tamen a nostro loco omnis offensio abest. Nam inter illas leges etiam ea est ut eiusdem verbi repetitio admittatur, modo ipsius vocis significatio paulum sit mutata. Quo pertinet quod verba conposita et simplicia vel eiusdem verbi conposita diversa in fine versuum sese excipientium absque offensione sunt: Troades 85 sq.: *ὡς ἂν τὸ λοιπὸν τἄμ' ἀνάκτορ' εὐσεβεῖν εἰδῶσ' Ἀχαιοὶ θεούς τε τοὺς ἄλλους σέβειν.* Heraclidae 947: *παῖδ' ἠξίωσας, ὦ πανοῦργ', ἐφυβρίσαι; τί γὰρ σὺ κεῖνον οὐκ ἔτλης καθυβρίσαι;* Helena 921: *αἰσχρὸν τὰ μέν σε θεῖα πάντ' ἐξειδέναι, τά τ' ὄντα καὶ μή, τὰ δὲ δίκαια μὴ εἰδέναι.* Deinde si altera voce nude posita, altera cum coniunctione est: Ion. 1199: *κἀν τῷδε μόχθῳ πτηνὸς εἰσπίπτει δόμοις Κῶμος πελειῶν· Λοξίου γὰρ ἐν δόμοις.*

Scholia Veneta ad Hom. Il. *Π.* 515.

Hoc scholium ideo tractabo quia falsa ut opinor mutatione Lehrsii (de Arist. stud. Homer. p. 140) intolerabilis erroris Zenodotus arguitur quem contra iniusta crimina de-

fendere operae pretium duco. Atque ea quam tractare in animo est scholii pars haec est:

Ἀρίσταρχος τὸ πλῆρες ἀκούει πάντοσε· Ζηνόδοτος πάντες ἀκούειν διὰ τοῦ ε̄.

Ipsius Iliadis versus de quo agit scholium hic est: — δύνασαι δὲ σὺ πάντοσ' ἀκούειν Ἀνέρι κηδομένῳ, ὡς νῦν ἐμὲ κῆδος ἱκάνει: quae verba de Apolline dicit Glaucus. Adparet priore scholii parte nihil aliud significari nisi Aristarchum servasse scripturam πάντοσ' et eam pro πάντοσε accepisse qua in re recte egisse Aristarchum optime docuit Lehrsius. Posterior vero pars quae agit de Zenodoto corrupta est: nam Zenodotum pro πάντοσ' scripsisse πάντες aperte sano sensu caret. Itaque Lehrsius scribi voluit: Ζηνόδοτος παντὸς ἀκούειν διὰ τοῦ ος. Quam emendationem confidenter dixerim infelicem. Etenim primum ες syllaba in πάντες defenditur adiectis verbis διὰ τοῦ ε̄, ut, quod fecit Lehrsius, etiam διὰ τοῦ ε̄ mutandum sit in διὰ τοῦ ος: sed ut de duplici librarii errore nihil dicam, num omnino quisquam ad Zenodoti scripturam adicere potuit διὰ τοῦ ο̄ς, cum etiam Aristarchi et eorum qui eum sequebantur scriptura reapse διὰ τοῦ ο̄ς esset? Deinde quaenam inesset sententia Zenodoteae scripturae παντός? Aut ad res pertineret quas audit Apollo ut sit genetivus neutrius generis a πᾶν derivatus: sed contra grammaticam rationem pugnat ἀκούειν ἀνέρι παντός, aut ad hominem quem audit Apollo: sed adparet coniungi non posse cum verbo ἀκούειν et dativum ἀνέρι et genetivum παντός. Itaque prorsus insana Zenodoto Lehrsii emendatione tribuuntur: sed nulla caussa est cur Zenodotum tam insana scripsisse putemus. Codicis verba mea sententia sanissima sunt, modo statuamus ες syllabam non ad πάντες vocabulum sed ad ἀκούειν pertinere. Tunc haec habemus verba:

Ζηνόδοτος πάντ' ἐσακούειν διὰ τοῦ ε̄, ut πάντ' sit pro πάντα atque δύνασαι δὲ σὺ πάντ' ἐσακούειν Ἀνέρι

κηδομένῳ sit vertendum: sed tu omnia audire potes viro misero i. e. quae homo miser te rogat. Ita et sententia evadit satis bona et nulla emendatione violenta opus est. Quod post *Ζηνόδοτος* nomen *ἀναγιγνώσκει* vel aliud quoddam omissum est, hoc nihil miri habet. *Ἐσακούειν* vero et in aliis versibus Homericis legitur. Denique ea quam protuli emendatio firmatur alio ad eundem versum scholio quod in codice L legitur: *Ἀρίσταρχος τὸ πλῆρες ἀντὶ τοῦ παντός, Ζηνόδοτος δὲ ἀντὶ τοῦ παντί.* Nam quanquam hoc scholium aliquo modo est corruptum, tamen adparet auctorem apud Zenodotum legisse *πάντ* atque illud pro dativo *παντί* habuisse. Ceterum iam supra dixi Lehrsium prorsus mihi probasse Aristarchi scripturam *πάντοσ'* unice veram esse.

Scholia Veneta ad Hom. Il. Ψ. 661.

Ὅτι οὐκ ἔστιν ἐν ἀνθ' ἑνὸς καμμονίη νίκη, ὡς οἱ γλωσσογράφοι, ἀλλ' ἡ ἐκ πολλῶν· διὸ ἐπὶ δρομέων οὐ τάσσει, ἀλλ' ἐπὶ τῶν πυκτευόντων καὶ μονομαχούντων· μία γὰρ καταμονῆς.

Ad hoc scholium aperte corruptum emendandum Lehrsius pag. 112 eam ingressus est viam ut alterum de eodem vocabulo *καμμονίη* scholium arcesseret atque eius opera corruptum illud emendaret. Quae via ad sententiam veram eruendam semper rectissima, saepissime etiam ad ipsa verba invenienda est utilis: sed si vera scriptoris verba vis eruere, non, ut saepius Lehrsius fecit, alterum pro altero est ponendum, etsi inter se sint diversissima. Quod ut demonstrarem hunc mihi sumpsi locum. Alterum autem cuius auxilio usus est Lehrsius scholium est Il. X 257: *ὅτι καμμονίη νίκη οὐ καθολικῶς ἀλλὰ ἡ ἐκ καταμονῆς· διὸ ἐπὶ τῶν μονομαχούντων καὶ πυκτευόντων τίθησιν, ἐπὶ δὲ δρομέων οὐκέτι.* Simpliciter loco *πολλῶν* vocabuli Lehrsius substituit *κατα-*

μονῆς. At vix crediderim librarii neglegentia verbum adeo diversum a vero ut πολλῶν a καταμονῆς in contextum inmigrasse. Neque magis coniectura Bernhardyi — quam videsis in annalibus Berolinensibus criticis anni 1834 p. 341 — ἀλλ' ἡ ἐκ πολέμων ferri potest: nam perspicuum est agi hoc loco non de bellis sed de solis ludorum certaminibus. Deinde ne verum quidem est in bellis victoriam ἐκ καταμονῆς proficisci.

Mihi autem veri videtur simillimum, ante ἡ excidisse μια νικ ut totum scholium legendum sit, servata emendatione Lehrsii certissima qua mutavit μία in μετά:

> ὅτι οὐκ ἔστιν ἐν ἀνθ' ἑνὸς καμμονίη νίκη, ὡς οἱ γλωσσογράφοι, ἀλλὰ μία νίκη ἐκ πολλῶν· διὸ ἐπὶ δρομέων οὐ τάσσει, ἀλλ' ἐπὶ τῶν πυκτευόντων καὶ μονομαχούντων· μετὰ γὰρ καταμονῆς.

Una tantum victoria e multis i. e. unum tantum victoriae genus e multis. Sententia eadem est atque ea quam effecit Lehrsius, sed nostra ratione intellegitur, qua via verba sint corrupta. Adcedit quod μία vocabulum paulo post eo loco recurrit ubi veram scripturam μετά loco pepulit.

VITA SCRIPTORIS.

Natus sum Altenae oppidulo Guestphaliae anno h. s. XXXII patre **Petro Christophoro** medico matre **Henrica Guilelmina,** quorum illo puer orbatus sum, hanc veneror superstitem. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum primordiis imbutus Berolinum me contuli in gymnasium Ioachimicum cuius alumnus per quinque annos et dimidium fui. Unde postquam summos fructus percepi ex institutione virorum doctissimorum **Meinekii, Wiesii, Muetzellii, Seyfferti,** aliorum quos omnes pia mente semper venerabor, anno MDCCCLII rite dimissus sum. Mox universitatem adii Rhenanam studiis operam daturus philologicis. Scholas frequentavi philologicas **Brunnii, Iahnii, Ritschelii, Schmidtii, Schopeni, Welckeri,** historicas **Loebellii,** theologicas **Hassii,** philosophicas **Knoodtii.** Praeterea in seminarium philologicum receptus sum insigni **Welckeri** et **Ritschelii** benevolentia. Quos viros omnes nunquam non grato animo prosequar.

THEMATA.

1. Summi momenti est ad sententiam quam Prometheo fabulae inesse voluit Aeschylus recte intellegendam quod de Saturno patre a Iove pulso nullo modo dixit poeta.

2. Droysenus Syracosii psephisma quod in Aristophanis avium v. 1297 scholiis memoratur falso de Hermacopidarum irrisione lege prohibita intellexit.

3. Aristophanis avibus nihil continetur nisi irrisio Atheniensium eorum qui domesticis tempestatibus irritati sophistarum more de rei publicae institutis disserebant.

4. Aristophanem ran. 1323 (Bergk) *ὁρᾷς τὸν πόδα τοῦτον;* — *ὁρῶ* non egisse de dactylo quem in altera glyconei forma (XX –́ ⏑ –́ ⏑⏑ –́) pro trochaeo posuerit Euripides proximus versus docet in quo Aristophanes Euripidis errorem in eo ponit quod in priore glyconei specie (XX –́ ⏑⏑ –́ ⏑ –́) pro iambo in fine admiserit anapaestum.

5. Apud Thucydidem II, 44 post *νῦν* particulam lacuna est quae *ἐ σ τ ε ρ η μ έ ν ο υ ς* vocabulo videtur explenda esse.

6. Apud Thucydidem VI, 37 scribendum est: *ὥστε παρὰ τοσοῦτον δ ί χ α γιγνώσκω.*

7. Apud Thucydidem VII, 49 e codice Vaticano sic emendo: *καὶ ἅμα μᾶλλον ταῖς γοῦν ναυσὶ θαρσῶν ἢ πρότερον ἐθάρσησε κρατηθείς.*

8. Apud Aeschylum Agam. 1288 (Herm.) scribendum est: *σκιᾷ τις ἂν πρέψειεν.*

9. Errant qui Aeschylum in gymnasiis tractandum esse censent.

10. Critica et hermeneutica artes non nisi altiorum philologiae disciplinarum fundamenta sunt.

